







D. IOANNES CHRIST. AUG. CLARUS

CLINICES PROFESSOR PUBL. ORD.

ET

UNIVERSITATIS LITERARUM LIPSIENSIS

H. T.

P R O C A N C E L L A R I U S

P A N E G Y R I N M E D I C A M

I N A U D I T O R I O I U R I D I C O

DIE XVII. MENSIS DECEMBRIS A. H. S. MDCCCXXII

C E L E B R A N D A M

I N D I C I T

---

*ADVERSARIORUM CLINICORUM. Part. VII.*

*Foetus extra uterum concepti et per abscessum abdominis, salva matre, expulsi historia, cum epicrisi.*

BT

UNIVERSITATIS COPENHAGENSIS

PHARMACEUTICA

PHARMACEUTICA

IN AUSTRIA



DEI REGNI BOHEMIE A. M. S. M. S. S. S. S.

224222

DE BRANNO

PHARMACEUTICA

PHARMACEUTICA

---

**P**ermultos fuisse arbitror, qui, quum dissertationem inauguralem *de sensibilitate et functionibus intestini crassi*, ab Exc. Exp. STEINHAEUSER nuperrime hic editam, perlegissent, morbi, qui experimentis, in vivente muliere ab eo institutis, opportunitatem praebuit, historiam integram et ad finem perductam desiderarent. Quorum desiderio ut satisfaceret, aptior occasio inveniri poterat nulla, quam publice aliquid dicendi officium, in eadem inauguratione mihi impositum. Quare auditoribus meis brevi narratione ea exposui, quae de hoc raro et felici insolitae conceptionis exemplo in diario scholae clinicae commemorata sunt. Nunc vero, quum urgeret nova quidquam scribendi necessitas, eandem narrationem, denuo recognitam et nonnullis animadversionibus illustratam, alius Candidati dignissimi illiusque amici coniunctissimi panegyri praemittendam esse putavi.

---

H...., sartrix, 42. annum agens, a marito deserta, corpore macilento et habitu subvenoso d. 29. Maii anni 1839 ad nosodochium St. Iacobi admissa est. Haec mulier ante complures annos febris nervosa et saepius posthac rheumatismo laboraverat, sex vero abhinc annos, partu praecipitato et sine obstetricis auxilio peracto, gemellos enixa erat. Ab eo inde tempore sub quovis onus aliquod tollendi conatu, nisum sensit in vagina, ac si elabi aliquid inde vellet, qui sensus praeterita hieme ad intestinum rectum transiisse dicebatur, sine haemorrhoidum, aut alius mali topici distinctis indicis —<sup>1)</sup> (Mense

---

1) Quae uncis inclusa sunt in hac narratione, ea non prius, quam postquam sanata esset, mulier mihi privatim aperuit.

Martio consuevit cum viro, id quod, propter aetatem suam, impune nunc fieri posse putavit, sexta vero circiter posthac hebdomade, quum candelabrum e scrinio alto depromere vellet et propterea, sinistri pedis digitis innixa alteroque pede suspenso, manum brachiumque dextrum magno conatu sursum tenderet, fragorem in ventre audire sibi visa est, quasi ruptum ibi aliquid esset, doloremque simul in pelvi percepit acutissimum eumque constantem, et gradatim auctum, posthac vero paulatim remissionem). — Menstrua, antehac legitime semper soluta, ex duobus nunc mensibus intercepta erant, sine alio incommodo, nisi quod ex octo diebus ciborum desiderium imminutum, alvus tarda et urina cum ardore ac difficultate missa esset, abdomine simul aliquantum inflato sed sine febris et reliquis status gastrici signis communibus. Genitalia externorum forma et conditio solita quidem fuit, neque labiorum externorum et internorum tumor aut inflammatio apparuit, sed inter nymphas dependebat plica relaxati parietis posterioris vaginae, ex qua profluebat mucus copiosus et lactis cremori similis, sine tunicae mucosae rubore et calore insolito. Os uteri duos tantum pollices distabat ab ostio vaginae et apertum erat, ita ut apicem digiti admitteret, labio eius utroque tumido, sed forma et situ neutiquam mutato. Pars uteri vaginalis pariter intumuerat ad magnitudinem duplam eiusque facies posterior ad contactum dolebat et calebat. Graviditas, ut solet, negabatur, neque praesumi sub hac rerum conditione poterat. Quare, quum per partum properatum et sine tutela peractum uterus e loco suo depressus et paries vaginae posterior relaxatus et prolapsus, inde vero, per situm partium insolitum, irritatio earum perpetua, fortuito nunc aucta, cum hypertrophia vel induratione uteri incipiente, orta videtur; ad leniendam hanc irritationem et ad avertendum scirrhi et carcinomatis futuri periculum primum bis adhibitae sunt hirudines ad perinaeum et iniectiones emollientes, ratione simul habita obstructionis alvinae et secretionis cutaneae, nec non imperata quiete et incubitu dorsali, ita quidem ut pelvis axi suo antrorsum elevaretur. Fugato per hirudines dolore, restitit alvi tarditas cum dolore obscuro in regione ossis sacri, qui tamen per evacuantia subito plerumque levabatur.

Die post admissionem decimo, quum, per iteratam explorationem, cognitum esset cervicis uteri tumorem ac duritiem superesse quidem, dolorem vero et ardorem eius propemodum disparuisse; ad resolvendam hypertrophiam opinatam, et ad restituendum tonum in partibus relaxatis, ordinatae sunt iniectiones ex infuso Flor. Arnicae, Herb. Serpylli et Cicutae, pro usu interno vero: Carbo animalis (Gr. ij — v. pr. dos.), cui post aliquod dies additum est Extr. Cicutae, (Gr. j. p. d.), interposito tamen alternis diebus Electuario lenitivo vel Clysmate.

Tertia hebdomade, praevis doloribus spasmodicis in toto abdomine, eiusque tensione adaucta, mucus copiosus redditus est per anum, e vagina vero destillavit sanguis exiguus ac tenuis. Quod profluvium, primum quidem pro menstruo molimine habitum est, quum vero diutius illud persisteret et per Carbonis Cicutaeque usum augeri videretur, simulque habitus aegrotae sensim leucophlegmaticus fieret, remotis pulveribus substitutum est Ferrum subcarbonicum, ad gr. ij. — v. pro dosi singula.

Iam cohibita quidem est utraque excretio et vires functionesque corporis satis bene valuerunt, sed nunc abdomen supra ramum horizontalem sinistri ossis pubis magis intumuit et ad contactum fortiolem doluit, simulque plica parietis posterioris vaginae sensim retrahi visa est, ita ut oculis conspici amplius non posset, tumor vero partis vaginalis uteri non mutatus erat, superstite sensu, ac si corpus aliquod peregrinum vaginam deprimeret.

Aegra sub hac rerum conditione, quum ad opus diurnum satis instauratam sese putaret, d. 11. Iul. abeundi veniam petiit et impetravit.

Dimissa, tumorem in regione inguinali sinistra magis magisque crescere et abdomen omne gradatim eo impleri sensit, ita tamen ut moles eius paulatim versus latus sinistrum inclinari tandemque regionem hypochondriacam dextram attingere videretur.

Quare nunc demum se gravidam esse credere coepit et passim quoque motus, foetui non absimiles, sed obscuros, neque in loco solito, sed in regione sacrali animadvertit. Ad finem mensis Decembris ponderis in regione sacrali sensui se adiunxerunt dolores magis acuti,

spasmodici, intermittentes, qui e regione Inmbali versus genitalia decurrere visi sunt et per aliquot dies perstiterunt. Secutum nunc est fluidi sanguinolenti profluvium e vagina et lactosae secretionis in mammis vestigium.) —

Primis Ianuarii diebus, praevio horrore conquassante, quem frigori admissio tribuit, subito correpta est dolore ventris atrocissimo et generali, qui, ut octavo huius mensis die ad nosodochium refugeret, eam coëgit. Hic, praeter abdominis inflationem generalem tumor inventus est circumscriptus, forma et magnitudine uteri decimo circiter mense gravidi, qui inde a ramo horizontali ossis pubis sinistri, obliquo itinere ascendebat usque ad regionem hypochondriacum dextram et contactus erat impatientissimus. Percussio huius tumoris sonum obscurum, solido corpori similem, reliqui abdominis tympaniticum edidit, per auscultationem vero neque pulsus cardiacus infantis, neque strepitus, qui placentae vulgo tribuitur, percipiebatur. Prolapsus vaginae disparuerat eiusque calor, et secretio fere naturalis erat. Os uteri transversim patebat et sinistrorsum spectabat. Pars eius vaginalis minus quam antehac tumebat et neque calebat neque dolebat, sed corpus et fundus uteri dextrorsum et retrorsum inclinati videbantur. Pars infantis prominebat nulla et mammae neque turgabant, neque secernebant aliquid. Ceterum pulsus et caloris cutanei ratio, inquietudo, agrypnia, linguae siccitas, sitis, anorexia et alvus dura eximium febris gradum indicabant.

Anceps omnino et maxime dubia sub hac rerum conditione videbatur diagnosis. Graviditatis enim legitimae opinionem, quam in occulto quidem nunc alebat aegrota ipsa, sed, medico saltem, eam reticebat, admittere non poterat praesens vaginae uterique conditio, conceptioni extra uterum vero repugnabat non solum indicii certi vel absentia vel dissimulatio<sup>2)</sup>, sed etiam id, quod de mechanica rei causa prius narratum erat et

2) Quae supra commemorata sunt: de coïtu admissio, de motu foetali, de dolore parturiente, de mammaram turgore etc. ea etiam nunc vel de industria reticebat mulier, vel in hoc rerum discrimine, malo multo graviore oppressa, quippe quod subito ex refrigeratione ortum putabat, leviores illas molestias non recordabatur.

quod, per priores explorationes, de vaginae prolapsu uterique hypertrophia et ectopia innotuerat. Igitur verisimile primum videbatur, simul cum uteri hypertrophia similem natum esse in ovario sinistro tumorem, ab initio in pelvi reconditum, nunc vero, paulatim crescendo et surgendo, ita elevatum, ut punctum gravitatis versus latus dextrum inclinaret. Procidentiae vaginae recessus ponderi per tumoris ascensum sublato, dolor vero in abdomine nunc saeviens peritonitidi rheumaticae, per causam fortuitam abortae, tribuebatur.

Atque haec inflammatio incertam quidem, sed unicam indicavit medendi viam, quae quidem non solum non fefellit, sed etiam superavit exspectionem. Viginti quinque enim hirudinibus ad locum abdominis maxime dolentem administratis et Hydrargyri muriatici mitis moderatis dosibus, cum emulsione oleosa, nec non fomentis quoque calidis et clysmatis per dies aliquot continue adhibitis, dolor primum, cum febris, paulo remissior factus, d. 13. Ianuarii vero sanguinis nigri, glebosi et foetidi ingens copia per anum eiecta est. Tumore abdominis generali nunc aliquantum collapse, in regione epigastrica et hypogastrica dextra locus, duris marginibus circumscriptus et magnitudine capitis infantis neonati inventus est, cuius pars media fluctuationem prodidit obscuram; sed neque exploratio per vaginam et anum saepius repetita, neque percussio et auscultatio nova indicia praebuit. Perstiterunt vero alvinae excretiones partim cruentae partim faeculentae, iisque se adiunxit febris lenta, cum sudoribus nocturnis et virium infirmitate gradatim aucta. Sub hac rerum conditione adhibitum est Elixir acidum HALLERI, interpositis aliquoties (d. 24. 27. 28. Ian.), propter dolorem reversum hirudinibus et scarificatione cruenta, fomentis frigidis et Ungt. cinereo. Sic inflammatio quidem usque resurgens cohibita, in reliquis vero nihil mutatum est, nisi quod in hypochondrio dextro pars tumoris media paulatim extolleretur et fluidi intus inclusi certiora praeberet indicia.

Ad hoc usque tempus integumenta tumoris communia solito colore fuerant, ineunte vero mense Febuario, ruborem erysipelatosum contraxerunt simulque tumor ipse mollior in dies fieri et acuminari

coepit, cum febris exacerbatione quotidiana duplicata, halitu oris foetido, faecibus cruentis et olidissimis pedumque incipiente oedemate.

Tandem d. 14. Febr. abscessus magno cum aegrotae levamine ruptus est et insignem puris cruenti et excrementa redolentis copiam effudit. Iam superior pars tumoris aliquantum subsedit ostiumque abscessus, per gangraenam in eius circuitu gliscentem, ita sensim dilatatum est, ut immitti posset digitus, qui offendit corpus durum et asperum, ossiculo simile. D. 18. Febr. post noctem inquiete transactam, novum apparuit in fundo ulceris gangraenosi ostium, ex quo prominebat ossiculum nigricans, quod, quum forcipe leniter attraheretur, nihil aliud esse cognitum est, quam dextra manus infantis emortui et putrefacti. Sequenti die, ponte inter utrumque ostium dissecto et orificio communi magis per gangraenam dilatato, sine magna difficultate extractum est corpus infantis integrum, relictis tamen secundis et parte ossis parietalis dextri. Pondus eius vix attingebat libras quatuor, magnitudo vero ossiumque et cartilaginum firmitas foetum usque ad ultimum graviditatis mensem vixisse arguebant. Integumenta communia cum tela cellulosa et maxima musculorum parte per sphacelum ita erant consumpta et siccata, ut mumiae colorem et aspectum praerberent et sexus, qui masculinus erat, aegre cognosceretur, Suturae ossium cranii hiabant et cerebrum effluerat. Situs infantis in abdomine materno hic fuerat, ut caput eius spectaret pelvim, partes extremae thoracem, venter posteriorem, dorsum anteriorem illius partem. Manu in foramen amplum immissa, antrum repertum est, quod sinistrorsum pertinebat usque ad lineam albam et inferiora versus usque ad regionem hypogastricam. Foetum secuta est fluidi faeculentis et pessime olentis copia magna, tumor vero nunc subsedit omnis et aegrotata mirifice se levatam professa est.

Sequentibus diebus aegrotae status in universum similis omnino fuit ultimo febris hecticae aut febris nervosae lentae stadio. Carnes enim ita contabuerant, ut nihil fere superesset, praeter ossa et integumenta; infirmitas vero tanta erat, ut vix loqui, nedum corpus erigere, aut incubitum pro arbitrio mutare posset. Muta iacebat et im-

mobilis, oculis semiapertis, facie collapsa eiusque colore subflavo et sordido, lingua et labiis aridis, integumentis vel frigidis et flaccidis, vel tenui sudore diffluentibus. Somnus tussi sicca et perpetua excutiebatur et profluvium saniosum et faeculentum non solum odorem spargebat intolerabilem, sed cutem quoque circa abscessum corrodebat et ruborem erysipelatosum cum dolore ardente provocabat. Undique imminebant pericula nova et mors videbatur ineluctabilis! Verendum enim erat, vel ne consumeretur aegra per febrim hecticam et atrophiam, vel ne per aërem, ad cavum abdominis admissum, peritonitis et status febrì puerperali similis nasceretur, vel ne per immunditiam et aëris pravitatem putrida febris accederet. In quo rerum discrimine, quum parum omnino sperandum esset a medicamentis, plurimum vero a victu exquisito cultuque corporis diligentissimo, primum parvae tantum iusculi carnis portiones, cum ovo et vino, brevibus intervallis concessae sunt, maxima simul munditiei aërisque puri ratione habita. Atque in hac re non possum non adiutorum meorum, imprimis Exp. KLINGERI, et Exp. STEINHAEUSERI, quorum ille praefecturae Leisnigiensis nunc medicus est publicus, hic vero artem exercet Loebaviae, indefessam industriam et eximiam vigilantiam in ope ferenda, maxime vero in emundando ac deligando abscessu impuro, meritis extollere laudibus, nec non curatricis quoque patientiam et humanitatem honorifica significatione dignari. Hac enim assidua cura et attentione factum est, ut nunquam culcita, cui superstratum erat linteum ceratum, et ne indusium quidem aegrotæ immundum deprehenderetur, neque gravis odor adstantes offenderet. — Usui interno inserviit simplex Chini sulphurici solutio, cui posthac addita est Tinctura aromatica et Morphium aceticum, quod, mitigandae tussis causa, vespere porrigebatur ad sextam grani partem. Ceterum alternis diebus clysmata per anum iniecta sunt, non solum ut ichor et sanguis ibi residuus elueretur, sed ut excrementa quoque, quae nunc per abscessum mittebantur omnia, ad viam consuetam reducerentur.

D. 24. Febr. abscessus conditio melior fieri et pus genuinum parari, nec non tussis remittere, somnus redire et oedema pedum decre-

scere coepit; febris vero, sudor matutinus, macies et virium imbecillitas perstiterunt. — Inde ab initio mensis Martii primum evanuit tussis cum sudore colliquativo, mox carnes quoque et vires lente redierunt, simulque puris copia, quae ex amplo sacco inter ostium abscessus et regionem hypogastricam provenire videbatur, multum imminuta est. Circuitus ostii externus dimidio fere nunc minor erat factus. — D. 30. Mart. primum flatus per anum passim emissi sunt, sed excrementa non prius quam 20. Aprilis hac via prodire coeperunt, id quod sequentibus diebus maiori paulatim copia et sine clysmatis ope factum est. Interea per genuinam granulationem abscessus usque ad nummi imperialis magnitudinem coiverat, habitus in dies meliorem conditionem nactus erat et vires eo usque redierant, ut aegrotā extra lectum versari nunc posset. Praeterea hoc animadvertendum est, quod passim per vaginam mucus efflueret serosus, sed neque acris, neque foetidus. — Ab hoc inde tempore usque ad finem mensis Septembris alternis vicibus, modo per abscessum modo per anum, modo utraque via evacuatio alvina locum habuit et aegrotā, quum in reliquis omnibus bene valeret et excrementa per immissum linteum carptum et per fasciam circumiectam satis retinerentur, ad stationem morborum externorum translata est, ut periculum fieret, num arte chirurgica penitus claudi posset anus praeternaturalis.

Parum hic in mali conditione locali ad hoc usque tempus mutatum est, nisi quod ostium ad magnitudinem quatuor grossorum sensim contraheretur eiusque circuitus firmam cicatricem duceret. Notandum tamen est, post aliquot menses catamenia quoque retliisse et nunc solita plerumque lege persolvi, aegrotā vero prospera valetudine uti et curatricis aegrotarum officium suscepisse.

Foetum extra uterum conceptorum historiae, ex quo ALBUCA-  
SIS<sup>3)</sup> proposuit primam, ad eum numerum excreverunt et a pluribus

3) ALBUCA S med. meth. L. 2. c. 76. (SPACHII Gynaec. Argent. 1597. p. 445. HALLER. Bibl. chir. I. p. 138.) Vidi ego mulierem, in cuius ventre mortuus erat foe-

tam sedulo collectae<sup>4)</sup> et illustratae sunt, ut in hac re omni vix afferri novi aliquid possit, praeter eorum, quae iam rata satis et comperta habentur, comparationem et comprobationem. Quare inter multa, quae adnotari ad hanc historiam possent, et quae, tironum causa, in scholis meis exposui, pauca hic tantum attingam, quae proxime attinent ad insolitae huius conceptionis causam, locum, decursum, exitum, singulasque adnotationes, maioris brevitatis et perspicuitatis causa, numeris distinguam.

1. In hac muliere, pro aetatis suae et constitutionis et vitae ratione, facultas procreandi sobolem hebescere iam coeperat et propterea conceptio imperfecta et quasi inchoata<sup>5)</sup> facilius accidere poterat<sup>6)</sup>. Imprimis vero uteri et vaginae situs, partu gemellorum properato et sine obstetricis auxilio peracto mutatus solitoque inferior, ad ovuli transmissionem impediendam et intercipiendam aliquid contribuisse videtur.

tus, et nihilominus impraegnata, postea mortuus foetus etiam secundo conceptus. Accidit ergo ei post tempus longum apostema in umbilico suo et inflatum est, donec apertum coepit emittere pus. Vocatus sum ergo ad curationem eius et medicatus sum ei tempore longo et non consolidatum est vulnus: posui ergo super ipsum ex quibusdam emplastris fortis attractionis et exivit os; deinde post dies aliquot exivit et aliud os. Miratus sum ergo, quum in ventre non sit os; causam diligentius expendens et mecum per omnia putans, deprehendi quod erant ex ossibus foetus mortui. Causa igitur morbi certo cognita medendique rationem hinc consecutus, extraxi ossa multa, muliere existente in melioribus dispositionibus. Et diu vixit mulier illa ex ulcere autem semper puris nonnihil fluxit.

4) D. L. MEISSNER. *Forschungen des 19. Jahrhunderts im Gebiete der Geburtshülfe*. Lpz. 1826. I. 69. IV. 75.

5) Conceptionem extra uterum vel in ovario, vel in tuba, vel in cavo abdominis vel in uteri ipsius parenchymate fieri posse eiusque causam generalem in impedimento qualicumque, quod ovuli ex ovario ad cavum uteri transitum prohibeat, quaerendam esse, notissimum est.

6) Frequentius enim observata est in mulieribus, quae ultra florem aetatis iam progressae erant et vel in coelibatu vivebant, vel infelix matrimonium agebant, vel saepius iam abortiverant, vel iniqua vitae et sanitatis conditione utebantur.

2. Ovulum impraegnatum haud dubie primum haesit in ovario sinistro <sup>7)</sup> ibique crevit usque ad mensem secundum, iam vero, ruptis, propter teneritatem, tubae membranis, in cavum pelvis elapsum est <sup>8)</sup> ubi, per inflammationem adhaesivam, cum partibus vicinis coaluit. Ruptionis causa fuisse videtur corporis illa violenta et importuna extensio, quum gravida candelabrum e scrinio alto depromere conaretur. Fragor, quem sub hocce conatu audire sibi visa est, cum dolore acutissimo, deinceps nato et gradatim aucto, ruptionis momentum illiusque effectus indicant.

3. Inflammatio adhaesiva, quam foetus, e tuba elapsus, in partibus vicinis excitavit, per uteri, vesicae, intestini recti etc. conglutinationem, non solum saccum s. receptaculum constituisse videtur, in quo liberius ille, quam in tuba angustiore, cresceret et formaretur, sed causam etiam praebere potuit, quod uteri pars vaginalis intumesceret et profluvium e vagina, modo cruentum modo mucosum, fieret.

4. Haec inflammatio, quo tempore primum (mense Maio) ad nosodochium confugit aegra, summum haud dubie gradum consecuta erat, sed per curationem adhibitam eo usque mitigata est, ut redire ad opus consuetum illa posset, superstite tamen irritationis ac doloris in regione sacrali sensu, alvi tarditate, molimine ad partum periodico etc.

5. Crescente foetu, tumor apparuit primum in regione inguinali sinistra, qui uterum dextrorsum coëgit eiusque inclinationem secutus

---

7) Observatores in eo conveniunt propemodum omnes, quod graviditas extra uterum frequentius occurat in ovario et in tuba sinistra; frequentissime vero in abdomine, rarissime in parenchymate uteri.

8) Constat ex observationum comparatione a) quod foetus, in ovario conceptus, firmiter eius membranibus diutius plerumque retineatur et fere usque ad maturitatem crescere possit, iamque, si nunc demum rumpantur membranae, mortem afferat repentinam, si vero *non* rumpantur, consumtis usque ad ossa et crines eius partibus, degenerationem ovarii et hydropem sibi adiungat. — b) quod graviditas in ovario brevior plerumque sit et mensem secundum raro excedat citiusque disruptis, propter maiorem teneritatem, eius membranibus, vel subito lethalis fiat, vel in graviditatem abdominalem transeat.

est ita, ut ipse quoque versus latus dextrum inclinaretur et, paulatim surgendo, regionem hypochondriacam dextram attingeret.

6. Appropinquante demum, sub finem mensis Decembris, maturitatis tempore<sup>9)</sup>, molimina ad partum fortiora, sub hac rerum conditione plerumque observata, cum turgore mammarum et secretionem lactis, apparuerunt, foetus vero circa hoc tempus vivere desiit et, per vitalem corporis materni actionem, consumi coepit.

7. Iam vero cadaver infantis non potuit non inflammationem novam, eamque vehementissimam, provocare, qua factum est, ut saccus, in quo reconditum illud erat, (v. 3.), eo in loco, quo maxime tendebat et premebat pondus, i. e. cum colo transverso et cum pariete ventris adiacente, firmiter concreverat.

8. In huius inflammationis decursu per exulcerationem exorta primum est perforatio *coli*, cuius contenta, propter communem sacci ad intestina et ad parietem ventris adhaesionem, in cavum peritonaei effluere non potuerunt, sed, mixta cum sacci contentis fluidis, sub forma diarrhoeae cruentae, per anum eiecta sunt.

Relictae tamen cadaveris partes solidiores, quum per intestinum perforatum abire non possent, inflammationem musculorum abdominis et abscessum, eodem in loco, ubi saccus cum illis concreverat, adduxerunt.

10. Rupto tandem abscessu, simul reclusum est antrum, quod foetui domicilium praebuerat, et locus intestini perforatus, in antrum illud patens, ita ut ex eodem ostio infantis exuviae protraherentur et excrementa quoque prodirent, neque tamen horum ali-

---

9) Foetus in abdominis cavum elapsus, vel in eo conceptus, diutius ibi, quam alibi, vivere, adeoque ad maturitatem plus minusve pervenire et irrita nunc ad partum conamina provocare, emortuus vero ad ossa usque consumi solet, quae quidem nonnunquam diu remanent innocua, plerumque tamen inflammationem et exulcerationem in partibus vicinis pariunt et vel per abdominis abscessum abeunt, vel perforatis intestinis, per anum singulatim eiciuntur, vel viam adeo in vesicam sibi aperiunt, (cf. JOSEPHI D. W. *Ueb. d. Schwangerschaft ausserhalb d. Gebärmutter u. üb. e. höchst merkw. Harnblasenschwangerschaft insbes. Rostock 1803.*)

quid in cavum peritonaei perveniret. Digitus, in abscessum immissus, neque in intestinum, neque in saccum peritonaei intravit, sed in saccum *foetalem*, cuius parietes paulatim collapsi et conglutinati sunt, relicto tamen hucusque ano praeternaturali<sup>10</sup>).

Candidatus, cuius inauguratio per hanc prolusionem indicitur, est

VIR DOCTISSIMUS

CAROLUS BUERKNER

DESSAVIENSIS

MEDICINAE BACCALAUREUS

qui ingenii ac diligentiae laudem, qua inter nos floruit, exquisitae doctrinae documentis certissimis ita auxit et cumulavit, ut iura Doctoris ei Ordo noster non concedenda sed omnino tribuenda putaret. De vitae suae studiorumque ratione haec ipse scripsit:

*Natus sum Dessaviae die VIII. m. Ian. a. D. MDCCCXV patre FRIDRICO LEOPOLDO, summo politiae in illa urbe praefecto, et matre LUDOVICA CHARLOTTA e gente NEUMANNIANA, quibus parentibus dilectissimis pro innumeris erga me beneficiis et singulari amore publicas hic ago gratias easque enixissimas. Quos ut Deus O. M. incolumes servare, iisque placidam senectutem aerumnisque vacuam parare velit, in ferventissimis votis habeo.*

*Puerum septem annorum, primis litterarum elementis privata institutione imbutum, pater scholae atque gymnasio Dessaviensi tradidit, in quibus legitimum studiorum cursum per quatuordecim annos persolvi. Praeceptoribus, quos ibi habui, omnibus ac singulis animum profiteor gratissimum.*

*Anno h. s. XXXVI paschali tempore Lipsiam profectus, ut arti medicae operam navarem, ab Ill. GUENTHERO t. t. Rectore Magnifico inter civium academicorum numerum relatus sum, ibique hos praeceptores disserentes audi:*

10) Expulsio spontanea per abscessum abdominis, aut per anum, frequentius fit salva matre; elyotropomia vero, et hysterotomia, et gastrotomia, a nonnullis tentata, vix non semper infelicem habuit exitum (cf. GUNNING: case, in which the bones of a Foetus were passed through an Opening in the Abdomen, by which aperture the Catamenia afterwards flowed. v. London medic. and physic. Journ. Oct. 1827. p. 314.

de philosophia *Exc.* DROBISCHIUM; de encyclopaedia et methodologia medica *Exp.* KNESCHKIUM; de botanice *Exp.* KUNZIUM et *Exc.* SCHWAEGRICHENIUM; de mineralogia eundem; de zoologia *Exp.* POEPPIGIUM; de physice *Exp.* FECHNERUM. Chemiam theoreticam et practicam debeo *Exc.* KUEHNIO; anatomiam tam generalem quam specialem, nec non artem cadavera secandi me docuerunt *Exc.* et *Exp.* WEBERI fratres; anatomiam comparatam *Exp.* ASSMANN; physiologiam et embryologiam *Exc.* WEBER sen., anthropologiam denique *Ill.* HEINROTH.

Tum vero, practicis artis medicae disciplinis operam daturus *Exp.* NEUBERT pathologiam et therapiam generalem; specialem *Exc.* BRAUNE et CERUTTI; anatomiam pathologicam idem et *Exp.* HASSE tradiderunt, cui etiam artem auscultandi et percutiendi debeo. In materia medica *Exc.* BRAUNIUM; in chirurgia tam theoretica quam practica b. KUHLIUM in eadem et in arte fascias alligandi *Exp.* CARUM praeceptores habui, virum, qui tot tantaque benevolentiae et amoris documenta in me cumulavit, ut profecto nesciam, quomodo dignas ei persolvam gratias. Praeterea *Exc.* WENDLERUM de medicina forensi; *Ill.* HEINROTHUM de psychiatria; *Ill.* IOERGIUM de arte obstetricia et *Exp.* RITTERICHUM de ophthalmiatria disserentes audivi. Denique per tres fere annos societati latinae disputatoriae, *Exp.* NEUBERTO praeside florenti summa cum voluptate maximoque cum fructu interfui.

Ita ad practica studia praeeparatus cursum clinicum in instituto regio ad nosodochium Divi IACOBI, *Ill.* CLARO, *Exc.* WENDLERO et b. KUHLIO ducibus absolvi; demonstrationibus clinicis in nosocomio ad aedem Sti GEORGII ab *Exc.* RADIO habitis interfui; arti obstetriciae in instituto TRIERIANO sub *Ill.* IOERGII auspiciis, et ophthalmiatriae in instituto ophthalmiatrico *Exp.* RITTERICHIO praeside operam dedi. Simul vero etiam instituta policlinica, medicum *Exc.* CERUTTIO et BRAUNIO, chirurgicum *Expp.* CARO et WALTHERO moderatoribus frequentavi.

Ceterum contigit mihi esse tam felici, ut mense Martio anni praeteriti *Exc.* RADIUS adiutoris munus in nosodochio ad aedem Sti. Georgii mihi demandaret et in praxi quoque privata, ut ipsi ad manus essem permetteret. Cui viro, qui tanta benignitate et humanitate artis non solum discendae, sed etiam exercendae viam aperuit, quantum debeam eloqui non possum.

Praeceptoribus hisce omnibus pro tot tantisque insignis benevolentiae atque favoris documentis, quibus in studiorum meorum cursu me adiuverunt et ornarunt, gratias ago quas possum maximas et gratissimam eorum memoriam ad cineres usque semper summa pietate recolam.

Examen pro baccalaureatu die XXX. m. Maii MDCCCXXXVIII., examen rigorosum vero die XVI. m. Decembr. anni praeteriti superavi.


In utroque examine, quum unanimi omnium suffragatione ita probatus esset, ut prima laude dignus videretur, nihil ei ad consequendos summos in arte honores superfuit, quam ut libellum *de phlebolithis*, cuius auctor est, publice defenderet. Quod ultimum eruditionis specimen si legitime absolverit, ego, Cancellarii vice, eodem die, inde a h. XI., veniam ei Doctoris iura et ornamenta capessendi tribuam, habita brevi oratione. Igitur, ne deessem officio meo, hanc panegyrim **VOBIS RECTOR ACADEMIAE MAGNIFICE, PROCERES ET FAUTORES ILLUSTRIS et GRAVISSIMI, COMMILITONES CARISSIMI** hac emissa prolusione publice indixi.

P. P. Dom. III. Advent MDCCCXLI.



L I P S I A E,

TYPIS GUIL. STARITZII, TYPOGR. ACAD.







BIBLIOTEKA KÓRNICKA

224232